Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

B. D IV 186. L. N. 628.

53-41

8°

DA-BOX

LN 628

ex. 3

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Hölgs. ee

Hans Frandsen f. i Ribe 1532-84

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

981

1815 D. of Dev. II Dupl.
– 8 –

84

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

IOANNIS FRANCISCI RI-PENSIS CARMINVM LIBER,

AD

FRIDERICVM II.
Daniæ & Noruegiæ Regem &c.

His SEBASTIANI GRYPHII *Tumulus, & alia quædam diuerſorum authorum acceſſerunt.*



VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI,
APVD HAERED. SEB. GRYPHII,
1561.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

D. PETRI LOTICHII SECVNDI
De Ioanne Franciſco Ripenſi.

Laure Palatini quæ conſita principis horto
Ad Nicri liquidas innuba ſurgis aquas.
Creſce precor, non tu rigido violabere ferro,
Non in fumoſos ibis aduſta focos.
Aonio cinges iuuenilia tempora vati,
Aeternum ſeruans fronde virente decus.
Hunc meus ingenio meruit Frãciſcus honorẽ,
Nobilius per quem Dania nomen habet.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Kay Høegs Samling
1970.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

ANTONIVS GRYPHIVS

BENEVOLO LECTORI S. D.

*

INGENS *ardor & ſtudium cùm omnium diſciplinarum & eloquentiæ, tùm verò artis Poëticæ augendæ & exornandæ, amice Lector, quo in hac vita Parentis mei animus ſemper flagrabat, me etiã impulit, vt ea tam præclara opera, ex intimis Philoſophiæ penetralibus deprompta, eius inſtinctus exemplo, ſummo amore & cura complectar. Cuius quidem virtutes atque labores quantum imitatione conſequi potero, tantum & conari, nobis quidem glorioſum, tibi certè perquàm vtile & fructuoſum eſſe duximus. Is etenim maximis laboribus & impenſis Poëtas præcipuos cùm recẽtiores, tùm veteres, quos præſens tem-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

pus ſuppeditabat, non ſolùm typis pulcherrimis, verùm etiam manu ſcriptis exemplaribus adhibitis, quàm politiſſimè emendatos in lucem prodire curauit. Tantus enim eorum amator & admirator extitit, vt magnum vitæ ſuæ tempus in illis emendandis & corrigendis, etiam cum rerum domeſticarum iactura collocauerit. Sed quam hæc mereatur diligentia laudem, poſteritati, & his qui aliquem ſuorum laborum fructum percepère, cogitandum relinquo. Nos quoque eadem poſt defunctum patrem cura magna ex parte occupati ſumus, vt ſi quid fortè in noſtris exemplaribus dignum animaduerſione ab eodem (neque enim omnia vidimus omnes) omiſſum fuerit, id ſumma diligentia & cura à me pro ingenij mei tenuitate reſtituatur. Et quidem hoc magis, vt paternæ laudi, qua mihi nihil eſt charius, quàm propriæ exiſtimationi, vel honori cõſultum eſſe velim. Hanc eſſe etiam debere præcipuam boni Typographi curam, vt libros ſuos à mendis omnibus, quantum fieri poſſit perpurgatos in lucem edat, nemini eſt dubium. Dum hæc ſolicitudo animum meum nunquam non vrget ac ſtimulat, vetuſtiſſimos quoſque codices manu ſcriptos frequenter per occaſionem reuoluo, illos cum noſtris diligenter conferens, ſi quid fortè in noſtra.

ſtra.

ſtra editione vel ſuperuacaneum, vel per incuriam neglectum eſſe videatur. Vtrunque nuper in omnium Poëtarum principe Vergilio, non tantùm qui ex noſtra Typographia prodijt, ſed in omnibus alijs exemplaribus, quæ hoc tempore circunferuntur, ex vetuſtiſſimo manu ſcripto codice edoctus, deprehendi. Quod vt perſpicuum fiat, & maiorem noſtris verbis adhibeas fidem, id ex ſexto Aeneidos libro, vbi Poëta Romanorum hiſtorias aggreditur, facilè cognoſces: in quo paulò ante finem verſiculus integer deſideratur: ſine quo ſententia ita obſcura & mutila eſt, vt à nullo intelligi poſſit: Sic habet,

Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pomerios &c.

Obſecro quis horum eſt ſenſus? aut quam ſententiam ex his verbis eruat lector? Interpone verſiculum, quem è vetuſtiſſimo manu ſcripto exemplari nobis à d. L. Fabritio Lampugnano I.V.C. Mediolanēſi, viro publicæ vtilitatis ſtudioſiſſimo exhibito, obſeruauimus: totum locum inuenies planiſſimum:

Hi Collatinas imponent montibus arces
Laude pudicitiæ celebres, addentq́; ſuperbos
Pomerios &c.

Quæ inſuper alijs in locis annotauimus ex editione noſtra, quam tibi iam præparamus, abundè ſatis intelligas. Omnia perſequi non erit huius loci. Hæc, optime lector, eò ſcripſi, ut certum meæ diligentiæ & laboris teſtimonium in veteribus ſcriptoribus relegendis & emendandis apud te extaret. Nec minus recentioribus, quorum vena non ſpurca quadam & obſcœna libidine ſcatet, ſed quæ ingenuos verſus aliquo vrbanitatis ſale aſperſos fundit, officium denegamus. Diuertit ſuperiori hyeme ad nos doctiſſ. vir d. Ioannes Franciſcus Ripenſis ex Cymbrica Cherſoneſo Daniæ oriundus: quem propter inſignem eruditionẽ, & morum integritatem, quæ in ipſo elucebant, ſtatim ſummo amore proſecutus ſum, dedique operam quibus potui officijs, vt me in amicitiam ipſius familiaritatémque intimam inſinuarem. Voti factus compos, frequenter diúque de varijs Poëtis, in quibus ipſum non infœliciter verſatum eſſe inuenio ſingulis ferè diebus, donec apud nos vixit, commentabamur. Ipséque mihi præclarum ſui in iſto ſtudio progreſſus argumentum de potentiſſ. Regis Daniæ & Noruegiæ &c. Chriſtiani III. obitu, carmen egregium obtulit: quo lecto, mirificè ob inſignem facilitatem cum ſuaui quodam lepore coniunctam, quæ inde ſpirabat, delectat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

lectatus ſum. Atque data occaſione idem melioribus typis me in lucem editurum ſponte recepi. Cùm itaque prioribus diebus inter chartulas meas in Bibliotheca ſparſas, Epitaphia quædam de noſtri Parentis morte conſcripta fortè inuenirem, de quibus hactenus propter maximum luctum, quem ex obitu eius ceperam, cogitare non potui: & iam tandem diuturnitate temporis aliquo modo releuatus, vt eſt πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων κακῶν χρόνος, iſta, ne parentis laudi aliquid detrahere viderer, apud me diutius conſeruare nolui: ſed ſtatim cum amici noſtri Ripenſis libello, qui idem argumentum tractat, in publicum emittere deliberaui, vt VNA ET EADEM VRNA GRYPHVM cum tribus Leonibus toto terrarum orbe longè celebratiſsimis contineat. Hunc noſtrum laborem, amice lector, ſi æqui bonique conſulas, aliorum Poëtarum ex Germania ſcripta, quæ apud nos nondum extant, Sabini, Lotichij, Stigelij, Maioris, Schoſſeri, Seccerutij, Oſij, VVibergij, & aliorum eadem diligentia & ſtudio, vt tibi obſequium præſtemus, imprimi curabimus. Vale. ſexto Calend. Decembris 1560.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

ITER FRANCICVM, IN QVO CONTINETVR DEPLORATIO de obitu ſereniſſimi & potentiſſimi Regis Daniæ & Noruegiæ CHRISTIANI TERTII, &c.

AD FRIDERICVM II. Filium Daniæ & Noruegiæ Regem, &c.

AVTHORE

IOANNE FRANCISCO Ripenſi.

SI Vacat, & magnæ concedunt ocia curæ,
Nec graue iam regni te remoratur onus.
Accipe quæ Nicri gelidas ſpumantis ad vndas
Condidimus, teneris pauca ſed apta modis.
Non iter ad Solimos, non quod Pegaſæus Iaſon,
Per freta Theſſalico remige fecit iter.
Parua quidē Friderice via eſt, qua fertile Manus
Pulcher arenoſo diuidit amne ſolum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Parua fuit medij mora temporis inter eundum,
Multa ſed (heu) paruum triſtia tempus habet.
Præcipuè fatum lachrymabile Regis amati,
Carmine quem deflet noſtra Thalia ſuo.
Si miſcere tamen fas eſt quoque triſtia lætis,
Vade per inceptam Calliopæa viam.
Ver erat in foribus, menſisq́; octaua ſecundi,
Ibat ab exorto Sole reducta dies.
Cùm duce Lotichio (ſic mens animusq́; ferebant)
Dulce Nicrum linquens ingrediebar iter.
Scilicet Hectoreos populos viſurus, & vrbem
Vuirtē-burg. Quam vetus à muſto nomen habere ferunt.
Noſtra ſed herbarum de nomine nuncupat ætas:
Mænus eam liquidis perfluit vber aquis.
Ergò enſem lateri, plantis calcaria necto,
Quæq́; alia, vt mos eſt, arma viator habet.
Iamq́; pari ſpatio Phœbus diſtabat vtrinque,
Eoam ſpectans Heſperiamq́; domum. (tat,
Quādo Deū tacitus venerās prece, quod bene ver-
Mœnibus egredior præpete vectus equo.
Heydelberga vale, quæ Regum facta canentes,
Laurigero reuocas ex Helicone deas.

Te propter gelida Veni digreſſus ab Arcto,
Longinqua paſſus tedia multa Viæ.
Te propter ſacro Phœbi correptus amore,
Albiacis Nicrum fluctibus ante tuli.
Talia graminea referens in margine ripæ,
Carpebam notas prata per Vda Vias.
Spumeus ad dextram rapidus Nicer æſtuat Vndis,
Ad læuam montes altaq́ꝫ ſaxa iacent.
Et molles tenui labentes murmure riui,
Humida fœcundo prata liquore rigant.
Viciniſq́ꝫ fremunt lapſi de montibus amnes,
Actaq́ꝫ terrifico ligna fragore trahunt.
Ligna procul Rheni quæ nauita Vendit ad Vndas,
Namq́ꝫ habet has ſolas incola pauper opes.
Mox humiles paruæ muros intrauimus Vrbis
Quà tenet à ſaxis nomen & amne locus. Necker ſtein-ach.
Vix egreſſus eram, cùm nubibus ecce ſolutis,
Frigidus Hyberna decidit imber aqua,
Horrida diſcordes exercent prælia Venti.
Acta pruinoſis obſtrepit aura iugis.
Veſtibus in madidis iam ſole cadente ſubimus,
Leniter accliui mœnia ſtructa iugo.

Mœnibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Hirtzhorn. *Mœnibus inſigne eſt, & nomen cornua Cerui,*
Turribus & medio cornua picta foro.
Hoſpitium fauſtis monſtrabat candidus alis
Albus olor dextras hoſpitis ante fores.
Augurio læti per noctem manſimus illic,
Cygnus enim carus vatibus eſſe ſolet.
Nocte venit, celebratq́ dapes vicinia ſimplex.
Ebria nam Bacchi feſta bicornis erant.
Ducere nec piguit choreas, interq́ puellas
Ludere, ſic multo nox fuit acta mero.
Manè per anfractus vallis ripamq́ virentem,
Pergimus, & rapidis acceleramus equis.
Eberbach. *Pragredimurq́ vrbē, cui montes inter & amnē*
Flumen, & agreſtis nomina fecit Aper.
Inde per oppoſitum ſaxoſo tramite cliuum,
Arduus aſcenſus difficilisq́ fuit,
Sylua Ottonica. *Luſtraq́ contigimus dumoſis horrida ſyluis,*
Nobile quæ magni nomen Othonis habent.
Fortè quòd indomitos illic conſueuerit vrſos
Arbiter imperij per nemora alta ſequi:
Nam priſci ſtudijs Heroës talibus olim
Ad graue firmabant corpora Martis opus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Illis ſæpe famem ſylueſtria poma leuabant,
Hauſtaq́ʒ de liquido pocula fonte ſitim.
Sæpe thorum ceſpes ſub ramis arboris altæ
Præbuit, & tellus dulce cubile fuit.
Talis erat Pelëus, talis Calydonius heros,
Talis & armipotens Cæſaris huius auus.
Cuius adhuc extant veterum monumenta laborū.
Quà rotat Alpinas ſpumifer Oenus aquas.
Solus vbi volucres capreas, damasq́ʒ ſecutus,
Sedit in aërijs nocte ſilente iugis.
Hæc mihi Lotichius cupidas referebat ad aures,
Mentio cùm Regum facta Ducumq́ʒ foret.
Pampineo culti non illic palmite colles,
Non grauidis floret meſſibus almus ager.
Conifera pinus, & fagus, & ardua quercus,
Iunctaq́ʒ nux pagis, iuniperiq́ʒ virent.
Rara per obſcuras villarum culmina valles
Apparent, humiles nix tegit alta caſas.
Sed genus acre virûm, paſtoralisq́ʒ iuuentus,
Cornigerum paſcit per iuga celſa pecus.
Planities herboſa iacet, ſed nulla rotarum
Signa, viatori trita nec vlla via eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Illic incerti curſus inhibemus equorum,
Cùm mihi ſic findens ligna colonus ait.
Vade per has valles patulos vbi videris agros,
Monſtrabit certum furca bicornis iter.
Egreſſus ſyluis, agros, furcamq́; videbam,
Pars tamen à furca læua reciſa fuit.
Quæ ſequitur lutulenta via eſt, collesq́; reſidunt,
Actaq́; iam roſeæ tempora lucis erant.
Buocho Protinus ante vrbem de fago nomen habentem,
Hoſpitis ingredimur, ſole cadente, domum.
Grata fatigatas recreant conuiuia vires,
Hinc vinum laſſos calfacit, inde focus.
Pinguia nec lautæ deſunt farcimina cœnæ,
Nec ſale durati fumida terga ſuis.
Quid tibi piſciculos memorem quos vimine textis
Alueolis captat, nocte tepente, puer?
Adde merum ſaliens, illis quod gignit in oris.
Ad Mœni liquidas conſita vitis aquas.
Inſuper accedunt hilares ſuper omnia vultus,
Quo nihil hoſpitibus gratius eſſe poteſt.
Duximus hinc molles poſt dulcia pocula ſomnos,
Donec ab Eois Sol fuit ortus aquis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Nocte Viam tota largus corruperat imber,
  Quæ grauis, & fallax, & ſalebroſa fuit.
Carmina Lotichius Veterum celeberrima Vatum.
  Cantabat Varijs lata per arua modis.
Nunc queſtus Ariadna tuos, nūc Phyllidis ignes,
  Et numeros cytharæ, Leſbi puella, tuæ.
Eurialiq́ʒ necem, Niſiq́ʒ canebat amorem,
  Sic breuior dulci carmine facta Via eſt.
Veſpere ſex tandem pagis poſt terga relictis,
  Ingredimur muros Lauda Vetuſta tuos.
Tuberus irriguis Vrbem præterfluit Vndis,
  Aucturus Mœnum Tuberus amne ſuo. Tuberꝰ fluuius.
Comiter excipimur, ſed res fuit Vna dolori,
  Illa, quod Hofferus Michaël æger erat.
Candidus Hofferus diuini buccina Verbi,
  Chriſticolas illic paſcere iuſſus oues.
Ante fores templi ſtant ſaxo inciſa Vetuſto,
  Arma Palatinæ conſpicienda domus.
Quid non imminuit rerum longæua Vetuſtas?
  Nunc alius tantas poſſidet Vrbis opes.
Poſtera lux illic, ſed non ſine litibus acta eſt,
  Muſa ſile, litis cauſa tacenda mihi eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Flaua pruinoſas aurora fugauerat vmbras,
Surgimus, & cœptum continuamus iter.
Forte ſed ambigua decepti fraude locorum,
Tuberus obliquo qua fluit amne, ſumus.
Fleximus ad dextram curſus, tu caute viator,
Qui ſequeris, læuo tramite carpe viam.
Deuius hâc illâc pallantes error agebat.
Errori ſtatuit nox tenebroſa modum.
Valle ſub obſcura primis ſurgentibus aſtris,
Vidimus exiguæ ruſtica tecta caſæ.
Excipit hic feſſos, dubijsq; erroribus actos,
Pauperis agricolæ non inamœna domus.
Agricolæ viridi iam filia nubilis æuo,
Dulce miniſtrabat patre iubente merum.
Semirecincta ſinus ibat, tergoq; fluentes
In nodum longas iuſſerat ire comas.
Vernabant ſine labe genæ ceu ſæpe per hortos,
Candida parte ſui lilia, parte rubent,
Protinus occultis (quis crederet?) ignibus arſi
Captus & ingenua ſimplicitate fui,
Sæpe propinabam dilectæ vina puellæ,
Sæpe propinanti rettulit illa vicem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Iamq́ꝫ ſuo plauſtrum vertebat ab axe Bootes,
  Actaq́ꝫ pars gelida maxima noctis erat.
Saucius agreſti ſtipula fœnoq́ꝫ rigenti,
  Ante focum curis membra leuanda dedi.
Non tamen ægra leuis mulcebat pectora ſomnus,
  Nec mihi condebat lumina feſſa ſopor.
Sed repetens tota ſuſpiria nocte iacebam,
  Correptus flammis, magne Cupido, tuis.
Quid tibi cum pago pharetrati mater amoris?
  Quid tibi cum duro ſtramine ſæue puer?
Manè receſſurus, figens prius oſcula, dixi,
  Candida formoſi ruris alumna vale.
Inde per oppoſitos via viſa breuiſſima colles,
  Perq́ꝫ frequens piceis ilicibusq́ꝫ nemus.
Donec turrigeris celſam cum mœnibus vrbem,
  Vidimus ad ripas cærule Mœne tuas. herbipolis vrbs
Hic facunde tuas Sturmere ſubiuimus ædes,
  Qui trahis à veteri nobilitate genus. Eraſmus Neuſteter cognomẽto Sturmer.
Quẽ chorus Aonidũ charitesq́ꝫ, & fautor Apollo,
  Certatim donis excoluere ſuis.
Tres illic fauſto conſumpſimus omine luces,
  Hoſpitio læti, mitis Eraſme, tuo,

Nos ſacer Antiſtes menſa dignatus, & aula.
Conuiuas inter iuſsit habere locum.
Nobiliumq́; decus gentiſq́; Hutenus auitæ,
Proximus à ſacro præſule cuius honor.
Hutenus rediens qui nuper ab vrbe Quirini,
Mœſtus ob amiſsi funera fratris erat.
Tu quoq; Iane decus Graiæ linguæq́; Latinæ,
Signa voluntatis grata Zobelle dabas.
Rugerusq́; meus, cultiq́; Sinapius oris,
Pæonij præſtans lumen vterq; chori.
Aduena magnifica Mœnus præterfluit vrbis
Mœnia, vitiferis vndiq; cincta iugis,
Læta racemifero ſunt conſita palmite rura,
Si videas Bachi dixeris eſſe domum.
Arx alto conſtructa iugo ſupereminet vrbi,
Et rigui liquidas deſpicit amnis aquas.
Cuius in accliui Zobellus tramite Princeps,
Occidit ante ſuum proditione diem.
Heu ſcelus, heu crudele nefas, quis barbarus auſus
Præſulis innocui tingere cæde manum?
Templa vetuſta iacent, vbi contumulata virorum
Corpora nobilium morte ſoluta cubant.

Epiſcopus herbipolenſis.
Vuolffgangus Theodericus ab Hutten Decanus.
Ioann. Zobellus
Ioã. Sinapius
D. Guilelmus Rug. D.

Illic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Illic Lotichius monſtrans mihi triſte ſepulchrum, Daniel Stibar⁹.
Hîc, ait, oſſa meus tecta Stibarus habet.
Auſpice quo ſacros hauſi de fonte liquores,
Quo leuat ipſa ſuam Caliopæa ſitim.
Tertia ſed roſeos iam lux iterauerat ortus,
Lotichiusq́ ſuo munere functus erat.
Tollimur & Laudam, ſic re cogente, redimus
Tres vbi nos imbres detinuêre dies.
Intereà rumor perculſas occupat aures,
Sæua Palatinum fata tuliſſe Ducem.
Extinctumq́ tuum clariſsima Dania Regem, Deploratio de obitu Sereniſſimi Regis Daniæ &c. Chriſtiani III.
Atq́ alium patriæ iam dare iura meæ.
Non ſecus obſtupui, quàm ſi redimita colubris,
Ante oculos ſtarent Gorgonis ora meos.
Scilicet hic magnis fatalis Regibus annus
Et ducibus, dixi, Principibusq́ fuit.
Occidit æternis Cæſar virtutibus ingens
Carolus, Heſperia contumulatus homo.
Carolus armipotens, cui ſecula pace vel armis,
Nulla ferent vnquam, nulla tulere parem.
Cæſaris adde duas ſublatas morte ſorores,
Quæq́ tuas diſcors Anglia rexit opes.

Regis & ipſe ſui conſortem funere raptum,
Sarmaticus largis Viſtula luxit aquis.
Adde duces, quorum letho Germania fleuit.
Adde Palatinæ funera bina domus.
Nec ſatis hoc fuerat, ſed te quoq; Dania Rege.
Orbauit ſæua mortis acerba dies.
Ergò iaces patriæ pater ô fortiſſime, cuius
Dextra fuit factis inclyta, clara fide.
Vindicibus cuius virtus ſe ſuſtulit armis,
Fregit & hoſtiles Marte fauente minas.
Quid loquor vt ſubitos ſedaueris inde tumultus?
Vt dederit victas Haffnia capta manus?
Nil locus aut muri, nihil inſuperabile vallum
Nil circumfuſæ profuit vſus aquæ,
Læta tamen niueis plaudens victoria pennis,
Concolor & nullo ſanguine tincta fuit.
Sed maiora canam: Tu iuris amator & æqui.
Tu cultor veræ religionis eras,
Vana ſuperſtitio quod noſtris exulat oris,
Quod dedit impietas, cedere iuſſa, locum.
Se debere tibi ſyncero corde fatentur,
Indigenæ quotquot Dania fortis habet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Nec minus ad gentes ſacra propagare ſtudebas,
Frigidus à celſo quas Videt axe polus.
Dicite Vos Muſæ, quis Vos adduxerit iſtûc,
Quà iacet hyberno Dania cincta mari?
Inclytus, in terras demiſſus ab æthere, princeps,
Hoc fera barbaries Vindice pulſa fuit.
Ille domum profugis & culta palatia ſtruxit,
Atq; alio iuſsit Vos Helicone frui.
Haffnia quæ numero doctorum clara Virorum,
Aonias largo flumine fundit aquas.
Per te parta quies, Rex ô fortiſsime, per te
Patria tranquilla pace quieta fuit.
Qualiter Halcyonum dum pendent æquore nidi,
Per mare ſecurum nauita carpit iter.
Non horrenda truces exercent prælia Venti,
Sed placidus abies labitur Vncta Vadis.
Talis erat regni per te florentis imago,
Vſqueadeò ſancta pacis amator eras.
Ergo Velut cultis tollit ſe laurus in hortis,
Seruat & æterno frondis honore comam:
Sic tua per populos nullo delebilis æuo,
Gloria ſe liquida tollit in aſtra Via.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Inter & Heroas frueris fœlicibus illis,
Turba quibus Chriſti morte redempta, bonis.
Iámque vale, tumulóque precor ſecura quieſcant
Oſſa, ſit exuuijs páxque quiéſque tuis.
Ecq; tuo violæ creſcant & lilia buſto,
Regia perpetuis floreat vrna roſis.

Ad Ducē Fridericū Regē

At tu, qui ſumis regni ſucceſſor habenas,
Iámque ſedes patris, Dux Friderice, loco.
Auſpicijs ſceptrum capias fœlicibus opto,
Claráque per magni facta parentis eas.
Vt fœlix placida populos in pace gubernes,
Candida dum niueæ tempora pacis erunt.
Adſit & in dubio belli certamine Mauors,
Si fuerint forti bella gerenda manu.
Tu quoque magna feres claræ præconia famæ,
Inclytus & priſcis non inhonorus auis.
Nec deerunt celebres olim qui dicere laudes,
Et tua certatim condere facta velint.
Tu modò præſtantes victuro carmine vates,
Et defende nouem, quas pater antè, deas.
Munere Pieridum ſolo, poſt funera Reges
Morte vel inuita nobile nomen habent.

Macto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Macte animo, populiſq; potens & diuite regno.
Gaudeat imperio terra fretûmque tuo.
Sed repetamus iter, iam Martis flaua calendas
Attulerat roſeo Memnonis axe parens.
Digredior letho Regis turbatus amati,
Lotichius Lauda ducit in Vrbe moram.
Vt Vada contigeram, qua montes inter amœnos
Defluit, & ripa floret Vtraque Nicer.
Hic ſegnis perteſus equi, duriq; laboris,
Naue leui prono deuehor amne domum.
Heydelberga domus Phœbi cariſsima ſalue.
Atque eadem, quanuis non mereare, Vale.
Sed non culpa loci eſt: quid pergis dicere Clio
Omnia, iam cœpta meta peracta Via eſt.
Cætera cùm fuero, princeps Friderice, reuerſus,
Ipſe tibi præſens commemorabo, Vale.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

AD D. GVLIELMVM RONDELETIVM PRAECEPTOREM

in lib. de Ponderibus.

VIderat æquoreis magnus Neptunus in vn-
Iura prius toto te poſuiſſe freto. (dis
Squãmigerumq́; genus placidas duxiſſe per vn-
(Quis putet) ad patuli littora curua ſoli. (das
Vt tua fluminibus neglectis iuſſa capeſcant,
Atque petant nutu nomina vera tuo.
Vnde volubilibus Neptunus rector in vndis
Iudicij captus dexteritate boni.
Conſortem pelagi, liquidæ te fecit & vndæ
Ingenij poterant hæc monumenta tui.
Non ſatis hæc: iuſta terráſque bilance gubernas,
Dum monſtras medico pondera certa choro.
Quanta Machaonijs eſſent diſcrimina rebus,
Ni ſtarent numeris, vir venerande, tuis.
Hæc tibi quæ certam promittit planta ſalutem
Corpora neglecto pondere ſana necat.
Hanc partem redigis medicinæ primus in artẽ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Quam medici ſcriptis non coluere ſuis.
Vt non ſollicitet præbentem pharmaca, ne ve
Propoſitum fallat pendula libra bonum,
Hunc vigili doctum relegit qui mente libellum,
Et voluit facili nocte diéque manu.
Ergo dum fluuijs Mugil verſatur in vndis
Aſtutus medijs & Melanurus aquis
Atque Aſtræa vagam librat dum põdere lancẽ,
Seruet quò placidos, conterat atque reos,
Inclyta florebit meritorum fama tuorum
Quà ſol Eöis ſplendet & Heſperijs.

IN DIEM NATALEM.

SParge puer flores, celebrantur feſta Ioannis:
Nominibus noſtris omen ineſſe ſolet.
Hoc noni fatigata graui ſub pondere menſis
Dulcis me mater tempore progenuit.
Dij quantum faciat tempus quo ducimus ortum,
Atq; refert quantum quo generere die,
Vranie celſi ſcrutata volumina cœli
Prædixit primo fata futura die.
Triſtia præmonitus venturi incommoda damni
Fugi, quáſque tulit ſors inimica vices.

Vidimus & luces ſignis melioribus ortas.
(Non etenim madido ſemper ab axe pluit)
Excepi grato præſentia tempora corde,
Perſolui grates, optime CHRISTE, tibi.
Hanc natale mihi productum tempus in horam
Agnoſco ſolum muneris eſſe tui.
Solennes igitur nobis puer inſtrue menſas,
Lautáque cum plena fercula prome manu.
Pocula non deſunt dulci manantia vino
Miſſa Serapteno palmite, ſiue Chio.
Adſint qui hæc mecum celebrabunt feſta vocati,
Quæ ſemper numeris ſunt celebranda meis.
Petrus Lotic. Secūd. Hic mihi Lotichij celeberrima Muſa Secundi
Præcipuum primos occupet ante locum,
Incipiet poſitis dulciſsima carmina curis
Phœbea ſolito more referre lyra.
Triſtia quid rigidi tulerit ſub prælia Martis
Quo ferus in bello tempore miles erat.
Quidq́ꝫ pharetrati telo transfixus Amoris
Senſit dum pharetras, magne Cupido, tuas.
Cinxerit aut quali virides indagine ſyluas
Venator, quali & ceperit arte feras.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Iſtic grandiſono Maioris Muſa cothurno *Ioan. Maior*
Proferet exhauſto carmina grata mero.
Qui non formidant interturbare volucres
Obſcœna modulos, ò philomela, tuos,
Quæ merita eſt longos fœlix vt viuat in annos,
Attica Theicium dum vocat Ales Ithyn.
Occupet hanc partem Schoſſeri carmen amati *Ioan. Schoſ.*
Quod celebrat numeris Martia facta bonis,
Quo cantante ſuis claris ferit aëra factis
Diues cœruleis Marchia ſecta vadis.
Hic Secceruitij, dulcis mihi cura, diſerti *Ioan. Secc.*
Heroo carmen barbite Muſa ſonet.
Quos pepigit mecum ſocios renouabit amores,
Quà Nicer herboſos irrigat amnis agros.
Lætus at in medio meus intimus inter amicos *Eraſ. Latus*
Diſcribet patrij rura ſuperba ſoli.
Difficile eſt quàm non vidit deſcribere terram
Vidit & eſt patriæ portio rara mea. *Ioan. VVibe.*
Et meus ingenio clarus VVibergius illic
Doctorum celebret nomina clara virûm.
Hic procul Arctois veniet reuocatus ab oris
Oſius, Aonij gloria prima chori. *Hiero. Oſius.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Ardua Danorum deſcribet prælia Regum
Geſta olim proauis, Rex FRIDERICE, tuis.
Io.Bocerus. Et dapibus noſtris nec abeſſet Muſa Boceri,
Hæc niſi Cimerijs detineretur aquis.
Proh dolor, incertis errat iam fluctibus: Ergò
Ius habet in ſacras Baltica Nympha deas.
Io.Cheſelius Ionas Tintenius. Et vos ô dulces animæ Cheſeliq; Iona
Soluite Meonijs ora rigata modis.
Cum veteri præſens feſtum celebrate ſodali
Fecimus vt pingues quà ſecat Albis agros.
Veſtra ego Pieria velabo tempora lauro
Si placet aut Myrti fronde virente ſacra.
Vtraque floreſcit noſtris fœliciter hortis
Ad Narbonenſis littora clara ſoli.
Non minus hæc veſtros ornabit, vt illa, capillos,
Vos Venus & ſimili Phœbus amore colunt.
His iuuat auſpicijs genialia ducere feſta,
Vt redeant fauſto ſydere ſæpe rogo.

AD DVCEM MAGNVM
Chriſtiani III. Filium.

MAgne trahis primo magnū qui nomen ab ortu,
Maiorē pietas te ſtudiumq; facit.

Perge

Perge bonis auibus niti virtutibus almis,
  Perge nouenarum caſtra beata ſequi.
Maximus hac fies Chriſto ratione fauente
  Daniaci, Princeps, gloria ſumma ſoli.
Iſta tibi ſuadent exempla domeſtica, perge
  Vt pia per magni facta Parentis eas.

AD D. IOHANNEM FRYS. R. M. SVMMVM Cancellarium.

TEmporibus noſtris, quòd fœlix Dania longa
  Pace, nec armorum fluctibus acta fuit,
Se debere tibi Reſpublica grata fatetur,
  O decus ô Patriæ gloria luxq; tua.
Tu bonus hortator pacis, tutaq; quietis,
  Tu vigil, & magni dextera Regis eras.
Hinc æterna tuum celebrabit gloria nomen,
  Gloria, quam poterit nulla abolere dies.

AD CORVINVM CANVtium VVlfeld.

ERgò leues ſemper deſcendũt nubibus imbres?
  Et vaga non dubias alterat aura vices?

Ac

Ac gelida ſemper Boreas bacchatur ab Arcto?
Turbat & inſanas Balthica Tethis aquas?
Nil minus eſt harum præceps mutatio rerum,
Poſt nebulas rutilo Phœbus ab axe nitet.
Sic animo tandem mæſtas depone querelas
Funera Chriſtiani quas peperêre tibi.
Hactenus exoriens repetit ſeu ſumma quadrigis
Sol, vel in occiduas præcipitatur aquas.
Triſtia munifici fleuiſti funera Regis
Conſpectu ſummi funera digna Dei,
Deſine iam duris animum torquere querelis
Vt modus in iuſto tempore fletus erit,
Fortia magnanimi celebremus initia Regis
Danica quo tellus Rege beata manet.
Quo duce difficili bello Dytmarſia victa eſt,
Inſula Daniacis ſæpe petita viris.
Hæc incepta tuum ſedabunt clara dolorem,
Nam ſcio nil votis gratius eſſe tuis.

AD D. CORNELIVM ET BORdingum R. M. Archiatros.

GLoria Pieridum Corneli candide, tuq́;
Bordinge, Arctoi ſydus vterque poli.

Nullàne quæ magnum ſeruarent pharmaca Re-
Nullàne quæ vires redderet, herba fuit? (gem
Nulla fuit, nec enim quicquam medicamina pro
Cùm mors inuiſas iniicit atra manus. (ſunt
Nil doctæ potuêre manus: Rex ætheris illum
Iam voluit regno proſperiore frui
Nos laudes celebrare decet, quibus ille ſuperſtes
Notus & Eois vixit, & Heſperijs.

AD PETRVM LOTI-CHIVM SECVN-*dum. D.*

Docte vir, Aonidum celeberrima fama ſoro-
Salue, Pegaſeï lauſq; decuſq; chori. (rum
Seu vigili tractas medicorum dogmata mente,
Fœlici releuans languida membra manu,
Mollia ſeu tenero deducis carmina plectro,
Publica ſeu fido munia corde geris.
His precor interdum ſtudijs defeſſus, amici
Digneris rebus conſuluiſſe tui.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Ne ve tui ſpernas iuuenilia carmina Vatis,
Carmina ſollicita tempore ſcripta via.
Iudicio nam cuncta tuo ſubmittimus illa:
Adde precor limam, culte Secunde, tuam.
Spiritus antè meus tenues diſcedet in auras,
Officij nolim quàm meminiſſe tui:
Ante meos oculos tua nam verſatur imago.
Perpetuò praſens vt videare mihi.
Atque vtinam tecum liceat ſic ducere vitam,
Fatales ſeruant dum mea fata deas.
Gratius his poßit mihi nil contingere votis.
Candide Pieridum cultor, amice, Vale.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

AD M. CASPARVM MVLE.

IVNIORVM PRINcipum in aula Danica pædagogum fideliſsimum.

PErlege quæ properè noſtri de funere Regis
Concinui querulis Caſpar amice, modis.
Exiguæ quamuis mihi ſunt in carmine vires,
Iſta tamen patriæ ſcribere iuſsit amor.
Quòd tibi ſi fuerit mea non ingrata voluntas,
Principibus credam poſſe placere, Vale.

AD PHILOMELAE TVMVLVM LAcryma.

QVid loquar? aut triſti quos promam pectore verſus?
Occupat ingenium mæſta Thalia meum.
Impediunt iuſtæ concepta referre querelæ
Heſternæ lacrymæ quas peperêre mihi.
Tempus erat torui premeret cùm tergora Tauri
Phœbus, & inceptum continuaret iter,

Craſtina nocturnos lux fortè remouerat ignes,
Exoritur Veneris, nocte abeunte, domus.
Ecce ſuburbanos ſolus ſpaciabar ad hortos,
Mompelios ſtagnans quà rigat amnis agros.
Quò placuit greſſum gratas conferre per horas
Perciperem modulos vt, Philomela, tuos.
Nam fuit alterius mihi vox gratiſſima, quando
Vixi Leucoria pars quotacunq; ſchola.
Quo magis hic præſens ſibilantem gutture blando
Auſculto varios atque referre modos.
Hoc mihi grata magis præfertur imago prioris
Quæ ſolet ad ripas, Albi, ſonare tuas.
Dum canit, & veteres repetit pro more querelas,
Ecce velut valido fulmine tacta ruit.
Obſtupui triſtem tangunt ſpectacula mentem.
Num præſens aliquid fortè ruina velit.
Accurro lapſam cupiens refouere calore,
Et vires aliquo reſtituiſſe modo.
Ceſſerat imbelli ſed iam de corpore vita,
Reſtitui nulla quæ ratione poteſt.
Protinus halantes triſtis proiectus in herbas
Hâc Laurus, redolens hâc Amathuſis erat.

Dauli.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Daulias incipio caſus meminiſſe priores,
  Quo fuit huic olim lingua reſecta modo.
Et memori repeto Philomelæ mente labores,
  Quæ ſolet Albioras voce replere domus.
Eſt ſimilis vita quam conſuetudo prioris,
  Ambarum ſtudium fata ſeuera premunt.
Illius Iſmarius lacerauit corpora Tereus,
  Fœdauit duris & lacerata modis.
Huius at impuri cuculi non dona diſerta
  Linguæ, ſed vitam commaculare ſtudent.
Hactenus id fruſtrà: ſuaui Philomela tenore
  Fundebat blando gutture dulce melos.
Huic vbi fœcundæ ſoluuntur vincula linguæ,
  Et nequit inceptos continuare ſonos.
Quæ tenui roſtro ſunt ſigna notata, docebunt
  Poſt tumulum laudes, ô Philomela, tuas.
Et ſcelerata notent cuculi conſcripta nefandi,
  Vt toto notum fiet in orbe ſcelus.
Eſt velut Iſmarij ſcelus albo ex tegmine notum
  Confictum digitis, Attica Nympha, tuis.
Vtq; dedit iuſtas ſæuo pro crimine pœnas
  Threicius, nati carne repletus Ithys.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Sic, ingrate, tui lacerabis pignora fœtus
Errorem ſceleris quò fateare tui.
Hæc ego dum viridi meditor proiectus in vmbra
Certus adeſt ripis nuntius Albioris.
Quod præſaga prius timuit mens, accidit, inquit.
Conceßit fatis, heu, Philomela ſuis.
Quæ reliquas dulci volucres modulamine vicit
Splendida Leucoreis quot fouet æthra iugis
Ergò prior cecidit non fruſtrà morte petita.
Condolet interitum ſed, Philomela, tuum.
Et ſparſim volucrum celeberrima turba per orbē
Ingeminant luctus te moriente nouos.
Nos quoq; dum præſens remanebit vita ſuperſtes
Noſtraq; erunt cerebro nomina nota meo.
Perpetuo tumulum triſtem celebremus honori
Viſcera quo gelido marmore tecta cubant.
Et luctus lacrymis ſemper renouemus obortis
Eſt memor interitus dum Philomela ſui.

AD

AD DVCEM IOANNEM IVNIOREM, CHRIſtiani tertij filium.

CReſce Deo, populiſq́; tuis gratiſsimus, atque
Grata fuit cunctis vita peracta bonis.
Quis non tam placidis Heroum moribus auctum
Et quis non faciem vellet amare tuam?
Candida formoſus ſic ora ferebat Iulus,
Troiani vultus ſic Ganimedis erant.
Non ornare tuas dotes virtute pigebit,
In pulchro virtus corpore maior erit.

AD D. ANTONIVM BRVSCH REGNI Cancellarium.

PVblica ſollicita tractare negocia cura
Exiguum multis eſſe videtur onus,
At tantos ſciret ſi vulgus inane labores,
Diceret ærumnis Herculis eſſe pares.
Roboris eſt domuiſſe feras, ſed quod tibi cedit
Liuor, & ambitio frausq́; dolusq́;, tuum eſt.

Ergò tuum ſeros nomen durabit in annos,
Donec erit rapido Dania cincta mari.

AD D. HERMOLAVM
TROLLE, REGNI
Senatorem.

CLaro ſanguine nobilis parentum
Et priſcæ decus Hermolaë gentis,
Quem Rex inclytus ille Chriſtianus
Audiuit toties, & approbauit
Mentem rebus in omnibus fidelem.
Ergò Rex iacet (heu) ſepultus, Ergò
Noſtri gloria CHRISTIANVS *aui*
Buſto conditur obrutus recenti?
Heu fatum lacrymabile atque acerbum.
Luge Dania, tuq́; amata luge
Vndis Balthica Tethys æſtuoſis.
Tu verò decus Hermolaë regni
Regem perge iuuare Fridericum.
Sic Muſæ tibi candidæ coronam
Qualem nemo Lycaonis ſub arcto
Vnquam nobilium tulit virorum.

AD D. IACOBVM BECK REGIAE M. QVAESTOREM. S.

QVàm varijs hominū iactatur vita procellis?
Quàm citò præcipiti turbine verſa ruunt?
Ergò iacet telis mortis confixus acerbæ
Dania quo fœlix Rege potensq; fuit.
Parce tamen mœſtis animum torquere querelis,
Flere pium, fletus ſed decet eſſe modum.
Quin potius laudes Regis celebremus amati,
Hoc ſolet extremum manibus eſſe decus.

AD D. IOANNEM TRVD SEN VVLSTAND, Mareſchalcum.

ANtè retro tumidas Nicer influet Albidos vndas,
Et Nicri liquidas Balthica Tethys aquas:
Quàm tua de noſtro labatur pectore virtus,
Inclyta vel poſſent tot benefacta mori.
Longa dies regum turres conſumit & vrbes,
Iuris in ingenium mors habet atra nihil.

AD IACOBVM CANVTIUM VVlfeld.

CLara quid arma Lupum referunt, dic chare, parentum?
  Quid tibi cum rigidis eſt Iacobe feris?
Ingenium placidum miti pietate refertum
  Eſt tibi, ſunt ſtudijs pectora plena ſacris.
Seria prudenti tu mente negocia tractas,
  Dum facis officio munia digno tuo.
In lenibus blando te monſtras ore facetum,
  In quibus argutus debet ineſſe iocus.
Docta places modulis ſeu ſuauibus ora reſoluis,
  Seu pulſas digitis fila canora tuis.
Iſta lupus nunquam ſectatur munia ſaeuus,
  Pellem non mentem bruta nouare ſolent.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

AD ALBERTVM BECK.

DVm licet ingenuis perge inſudare libellis,
Dumq́ ſinunt vitæ tempora prima tuæ.
Nulla magis ſtudijs ætas eſt apta ſacratis
Hei perquam volucri labitur illa pede.
Non ſecus ac violæ placidi ſub tempora veris,
Priſtinus exiguo tempore durat honos.
Cùm benè radices vix non fixere tenellas,
En ſubitò teneris floribus abſque rigent.
Grata iuuentutis pereunt ſic commoda prima,
Ingenij vires qua pereunte cadunt.
Ergò dum blandi concedunt ocia veris,
Perge, ferunt parua maxima damna moræ.

AD M. IOANNEM SVANIN-gium.

ECquid adhuc ceſſas Danorum quæſo virorũ
  Grandia ſyncera reddere geſta fide.
Dum tua, Suaningi doctiſſime, Muſa quieſcit,
  Doctorumq́ʒ vetas ire per ora virûm.
Inclyta Daniacæ reticetur gloria gentis,
  Non ſatis antiquis concelebrata viris.
Aſpice quàm bellè patrios celebrauit amicos
  Gothus, vt æthereum pulſat honore polum,
Aduerſæ mendax tollit præconia partis,
  Digna vel æterna commemorare die.
Antè fuit patrijs meritò depulſus ab oris
  Ob perpetrati crimina ſæua mali.
Quàm miſer in cælum confictis laudibus effert,
  Digna eſt laudari quæ meliore viro.
Delicti tacitè veniam ſic impetrat: Ergò
  Nec bonus eſt ciuis, nec bonus hiſtoricus.
At tu ſyncerus fidei conſtantis amator,
  Detege tu ſcriptis geſta peracta tuis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Tempus ad exiguum mendacia vana triũphant,
Si verum tegitur non tamen opprimitur.

AD D. PETRVM LOTICHIVM S. HEYDEL-berga diſcedens.

Ergò ego tã ſubito te, care Secunde, relinquã?
Rurſus & ignotas cogar inire vias?
Nuper amicitiæ tecum mihi contigit vſus,
Quale olim Piladi fœdus Oreſtis erat.
Bis vix luna cauum ter luce repleuerat orbem,
Veris & æſtatis præteriêre dies.
Ex quo prima tui monſtrabas ſigna fauoris,
Signa vel extremo non peritura die.
Hoſpitio Arctois venientem primus ab oris
Excipis ad flaui littora clara Nicri.
Atque locum placuit dare caros inter amicos
Ignoto, & ſocijs annumerare tuis.
Ex voto potuit mihi nil contingere maius,
Nec mihi res vnquam gratior vlla fuit.
Hoc vnum repetens ſemper meditabar eundo,
Hoc vigilans, ſomnus ſollicitabat idem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Et deſiderij iam factus compos, amoris
Perpetuo noſtri fœdera grata colam.
Communes ſuadent caſtiſsima Numina Muſæ,
Summus, & Aoniæ præſes Apollo lyræ.
Id benefacta volunt ſyncero præſtita corde,
Et nutrita pio pectore nuda fides.
Seu patulos veſtit radijs Sol aureus agros
Seu nox cœleſti gramina rore rigat.
Huius ego, teſtor ſuperos, memor vſq; manebo,
Quà licet & muſis hanc celebrabo meis.
Eſt graue ſyncero mihi ſed diſcedere amico,
Ingredior nolens, te remanente, viam.
Hic ego dum vixi non amplius hora videtur,
Vſque adeò tecum viuere dulce fuit.
Triſtis erat fateor caris diſceſſus amicis,
Dum liqui patrij dulcia rura ſoli.
Triſtis & Albioris diſceſsi nuper ab oris
Dum tibi cum lachrymis diximus, Albi vale.
Ille quidem triſtis ducebar amore parentum,
Littoribus ceſsi triſtior, Albi, tuis,
Inuitus ſiquidem te, docte Philippe, reliqui,
O decus ô animæ portio magna meæ.

Et reliquas dulces animas fidosq́ ſodales
Quorum quàm memori nomina mente gero.
Aſt ego Lotichio quod nunc diuellor amato,
Mors mihi diſceſſu durior eſſe nequit.
Sic cùm fata iubent, quibus eſt parere neceſſe,
Triſte tibi dico, culte poëta, Vale.
Ad tua ſorte licet quondam ſeu tecta redire,
Seu prohibet reditum Parca ſeuera meum,
Non lethæa meam capient obliuia mentem,
Quin reſonet noſtro nomen in ore tuum.
Dum memor ipſe mei fuero, dum ſydera cælum
Voluit & altiſonas Balthica Tethis aquas.
Grataq́ dum tellus cunctis alimenta miniſtrat,
Paſcit & aligeras liquidus aër aues.
Pectore perpetuo noſtro tu fixus inhæres,
Lotichij ſemper me meminiſſe iuuet.

AD D. IACOBVM DALEchampium.

HAc Iacobe, puto ſolùm me parte beatum
Magna Machaonij lausq́ decusq́ chori.
Quod mihi contigerit peregrinis ſemper in oris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Ignota ſummis poſſe placere viris.
Eſt nos ſyncero complexus amore Melanthon,
 Leucoreo quando viximus ante ſolo.
Primus erat ſtudij noſtri quoq; fautor Eberus,
 Peucerusq; meus, gloria prima ſcholæ.
Et nos facundo Vuilichius ore docebat.
 Odera Marchiacos quà rigat amnis agros.
Hinc Heydelbergam veniens peregrinus, amores
 Percepi cupida mente, Secunde, tuos.
Fuchſius ingenio, clarus quoq; Schegkius arte,
 Ambo grande tuum clara Tubinga decus.
Protinus ingenuo nos excepêre fauore,
 Atq; voluntatis ſigna dedêre mihi.
Et Seccervitius quo nos complexus amore eſt,
 Teſtantur digitis ſcripta notata ſuis.
Quid loquar, vt ſtudijs noſtris Gupille fauebas,
 Quà vaga Pariſios Sequana ſcindit agros.
Et Durete mea mentis pars altera docte,
 Quiq; equitis clarum nomine nomen habes.
Noſti, Rondeletus, non infimus inter amicos
 Præſtiterit nobis qua benefacta fide.
Glória Ρονδέλετος, doctorum prima virorum,

Philip. Melanton. Paulus Eberus Caſpar Peucerus D. Iodoc⁹ Vuilichius Pet. Lotich Secund. Secundus D. Leon. Fuchſius D. Iacob. Schegkius D. Ioann. Seccernitius. Gupillus D. Duretus D. Chevalier D. Gulie. Rondeletus. D.

Quotq́; Machaonia nomen ab arte ferunt.
Huius ego doleo me conſuetudine caſſum,
Noſter in immenſum creſceret atq; dolor.
Tu niſi me doctis releuares ſpontè loquelis.
Hic ubi cum Rhodano flumina iungit Arar.
Quid cum diſcedens iſtis quoq; triſtis ab oris
Ereptum mihi te flens Iacobe querar.
Spes erit antiquos cernendi forſan amicos,
Quos alit in uarijs patria terra locis.
Morſianus doctus, clarusq́; Hemmingius ore (Chriſtiernus Morſianus D. Nicolaus Hemingius D.)
Ingens Daniaci gloria uterq; ſoli.
Qua licet hunc noſtrum ſedabunt parte dolorem,
Et reliqui quorum nomina muſa tacet.
Aſt humanarum cùm ſit mutatio rerum
Talis, tu noſtri ſis memor, atq; uale.

AD M. PAVLVM NOVIOMAGVM. ET M. HENRICUM Buſcho.

CHriſti uerbipotentis ô fideles,
Deuotiq́; animis pijs miniſtri,
Quos tangit populi ſalus & ardor

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Pro templo Domini fatigat ingens,
Quæ vos condecorent ſatis Camœnæ
Laudum muneribus fidemq́; veſtram
Inſignemq́; tubam Dei ſonantem
Magno dogmata ſpiritus vigore.
Sic ſic pergite, ſic datur coronam
Celſo ex æthere conſequi perennem.
Vnum ſed moueo, perenne non eſt
Quod rauco Cuculus remugit ore
Paucis menſibus obſtrepens ſilere
Longum cogitur fugax in annum.
Hoc longum patrijs nefas ab oris,
Hoc arcete nefas, fugate peſtem,
Quæ Chriſtum ſimulans, venena fundit,
Mox lapſu propriæ trahenda fraudis.

AD CHRISTIERNVM
Hegelium.

QVis credat? Chriſtierne nouos meditamur amores,
Ad tua, diua Paphi, numina vota fero.

Vndecimus teritur poſtquam diſceßimus annus,
Littoribus primùm patria cara tuis.
Quando faces Veneris ſenſi, dulceſq́ȝ calores,
Atqȝ pharetrati vulnera prima Dei
Qualiacunqȝ dedit ſyncera mente ferebam
Tanquam militiæ præmia prima mea.
Hei mihi, ſed poſtquam creuerunt tempora, noſtrū
Creuit in immenſum, dire Cupido, malum.
Scilicet incautos dulci ſic cuſpide primum
Lædis, quo victas dent tibi ſponte manus.
Vix vbi læſus eram tua ſum mox caſtra ſecutus,
Omnia ſunt primo candida viſa loco.
Regnabam. facilem dicebar ducere vitam.
Dum licuit vita liberiore frui.
Geſtit inexpertus ſeu primis miles in armis
Eſſe putat rigidi non graue Martis opus:
Prima ſequor fœlix Veneris ſic prælia blandæ,
Gaudia dum cæcus ficta miniſtrat amor.
Omnibus offertur numeris pulcherrima virgo,
Quæ fuit incœpti maxima cauſa mali.
At fomenta dabat noſtri vicinia amoris,
Et furtim alternis oſcula ſumpta labris.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Quis non formoſæ caperetur amore puellæ?
Formoſam faciem quis negat eſſe tuam?
Ergò dilexi ſyncero captus amore,
Teſtor Apollineas numina caſta deas.
Non fruſtra nobis non ficto corde fauebat,
Mutuus ambobus ſed fuit vnus amor.
Teſtes ſunt lachrymæ, teſtes ſuſpiria crebra,
Extremum dedimus cùm tibi, Amica, vale,
Dij variæ noſtro quàm ſunt in amore querelæ,
Heu nunquam ceſſat nos cruciare timor.
Hoc quod diſcedens timui mihi contigit, illa
Ne velit abſentis commeminiſſe mei.
Eſt memor abſentis raró vaga fœmina ſponſi,
Neſcia deſerto ſola cubare thoro.
Penelopes paucæ ſeruant promiſſa fideles,
Ac Euadna tuæ dona pudicitiæ.
Ergo præſentem præſens adamabo puellam
Quæ fuerit noſtris moribus apta magis.
Cernimus hic plures præſtanti corpore nymphas,
Quà Rhodanus celeres in mare voluit aquas
Quarum non potero cultas deſcribere formas.
Quælibet Attalicum eſt digna ſubire thorum.

Si vultus facilesq; pedes, & muſica blanda,
Inſignes potuit ſæpe mouere viros:
Cur igitur noſtram non poſſent flectere mentem?
Hic amor, hic choreæ, blandaq; chorda vigent.
Virtutes harum plures recitare quieſco:
Quin niſi amem ſæua Tygride natus ero.
Virginis hoc vultus ſuadet & prompta voluntas,
Blandaq; præterito baſia ſumpta die.
O vtinam nobis maneant hi ſemper amores,
Et niueis pennis cuncta miniſtret Amor.

AD MAGISTRI LAVRENTII Ripenſis Tumulum.

Greſſum ſiſte tuum, viator, oro,
Dicam quis ſitus hoc loco quieſcat.
Hunc RIPIS genuit, ſacrata Muſis.
Muſis Hafnia perpoliuit almis
Ingenium fœlix fauente Chriſto.
Aſt Olburga pio labore functi,
Manes præſulis hac recundit vrna.
Fatis ergò ſacer iaces ſepultus

Antiſtes, dolor heu dolor, perennis!
Iam iam non eris hinc & inde ſancto
Multis Vrbibus ambiendus œſtro.
In vita fueris velut caduca
Hac, dum fata tulère, gratus, atque
Summis & pariter probandus imis.
Sic nunc ad ſuperas domos receptus
Multò gratior es Deo parenti.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

AD ACADEMIAM Haffnienſem.

LVctus Hafnia flebiles,
Luctus ô patriæ redde pio patri
Muſcarum chorus inclytus
Doctrinaq; viri munere fulgidi
Vultus nube premant nigra,
Et ſpargant meritis lumina fletibus.
Heros nam ſacer occidit,
Horum præſidium qui fuit & decus.
Hic qui magnificam domum:
Primus Pierio condidit agmini.
Huc qui diuite præmio,
Inuitans animos nobilioribus
Cultos dotibus ingeni,
Rarum conſtituit ſedibus his decus
Omnis cultus vt artium
Floreret pietas, almaq; ſanctitas,
Virtutisq; decor bona,
Clarum luce ſua ſpargeret hic iubar.
Fœliciſſime Principum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Qui veris decoras muneribus pius
Regnum nobile Daniæ
Salue perpetuum, perpetuum Vale.
Iam luctus tibi flebiles
Tergant ex oculis quiſq; madentibus.
Qua miſtus ſuperum choro
Regnas ætherea ſede beatior.
Iámque & triſtia temperans
Nos lugere vetat ſceptrigera tuus
Poſt te conſpicuus manu
Inſigni referens pectore filius,
Virtutis patriæ decus,
Cuius deinde pijs auſpicijs erit
Quæ ſemper fuit HAFNIA
Sub patris gremio, totáque DANIA.

EGLOGA PA-
LAEMON.

Coridon. Melibœus.

QVò Melibœe pedes te ducunt? vnde reuerſus
Cõtendis celeri verſans noua gaudia greſſu?
Lætior & ſolito mihi cùm pro more videris:
Hirſutam turpis non nectit ſtiria barbam,
Ceu conſueta fuit, docta ſunt falce reſecti
Qui pulchro totum cingunt caput ordine crines,
Lætitiæ tantæ quid cauſa care, recenſe,
Quò fruar hac tecũ: Deus hæc quis commoda fecit?
Hac an vendideris tam magni luce capellas,
Vnde tibi grauis ære domũ tua dextra reuerſa eſt.
Incipe dic cauſam quid tardas, ô Melibœe,
Vicináque refers rerum quid ab vrbe nouarum?
M. Implerũt, Coridon, noſtrã noua gaudia mentẽ,
Optima nunc inſtant melioris tempora mundi,
Dum mores hominum certa ſub lege reguntur,
Concors in tota poſthac pax vrbe vigebit,

Grata Dijs, numeriſque ſacris, & amica Colonis.
Armorum nec erit Ducibus iam feruida cura,
Enſes quisque volens à ſe deponat acutos.
Seruiat hinc noſtris ferrum fortaßis aratris
Abiectum, melius quo ſcindant arua ligones.
Cumq; lupis dabitur tutò iam viuere ſæuis
Agnos imbelles, miluus quoque non elephantem
Terrebit, tantum potis eſt concordia rara.
C. Auribus hæc certè ſunt acceptißima noſtris:
Crede prius viui mus nidificabit in aure
Felis, vel rerum totus mutabitur ordo.
Quàm referent tales præſentia tempora mores.
M. Quid prohibet? frænis eſt cōſtringenda iuuētus.
Docti ne violet fruſtrà mandata Magiſtri.
Luxus erit ſciſſa non hinc in veſte profanus,
Hinc non bracha tegat talos campeſtris vt antè,
Ergò gerant pulchro veſtes mea pignora panno,
Induat ornatas tam mas, quàm fœmina veſtes.
Nam precio paruo mercator vendat auarus.
C. An Melibœe mihi vigilās iam ſomnia narras.
Nobis ſæpe refert, cupimus quæ, ſomnus inanis.
Phœbus adhuc nondum cùm lora reſoluit equorū.

Nec paſter teneros clauſit cum matribus agnos.
Dic quid prætereà diſpergit rumor in Vrbe.
M. Etſi grata tuis non hæc ſint auribus æquè
Quæ prius ac retuli, tibi cùm ſit candida coniunx.
Et me ſollicitas non iſta referre grauabor.
Non datur hinc noſtris promittere iura Magiſtris
Connubij ſocij viuant ſine fœdere lecti.
Vt melius ſtricta iuuenes ſub lege gubernent.
Segnia iudicio deducunt ocia noſtro
Eſt veſana cui ſemper coniuncta libido.
Exercent duro non ruſtica facta labore,
Non cibus eſt tenuis, liquidæ neque pocula lymphæ
Sunt illis: lautis ſed pinguia prandia menſis
Dulcia Pampinei quas ornant munera Bacchi
Excipiunt: tali conſumunt tempora victu.
Num mores talis conſeruet vita pudicos?
De grege nō quidquā poſt hac mea vēdet in Vrbe
Coniunx, crede mihi, ſat erit laſciua petenti,
Me petijt digitis nolentem nocte priori.
C. Eſt Melibœe mea Grittæ ſapientia nota,
Ah vereor nimium, cùm tales ipſa ſalutat.
Mentiar hac multum niſi ſit mihi facta ſuperba

Ex quo lactucas reſinatas tempore vendit.
Si queat examen tantùm praſtare Magiſtrùm
Mulgeat hic veteri potius pro more capellas,
Quàm ſapiens noſtros tollat ſucceſſor amores.
PAL. Iſtos ſic memini cantantes fortè colonos,
Aetati ſimiles prorſus, Germanus vterque,
Hic vbi fœcundos flauus Nicer irrigat agros.

CAR

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

CARMINA

QVIBVS AMICI PROSEQVVNTVR CLARISſimum & doctiſſimum virum D. Ioannem Franciſcum Ripenſem, VVitemberga abeuntem.

ELEGIA

IOANNIS MAIORIS IOACH. Theologiæ Doctoris.

QVis fuit externas qui primùm ceſsit ad oras?
Quàm ferus, & verè barbarus ille fuit!
Quàm bene viuebant Adamo regna tenente,
Cùm fuerat magnis congrua vita Deis!
Vna fuit tantùm Paradyſus patria cunctis,
Nec tellus vario limite ſecta fuit.
At poſtquàm rupere fidem, pro rure beato,
Patria Damaſcus terra cruenta fuit.

Namq

Namque Cain primus fraterna cæde parentes
Liquit, & ad Libani transfuga ceſsit humum.
Liuor erat qui te germanum mittere letho
Iuſsit, & à mœſto patre mouere pedem.
Funere tu fratris fido ſpoliaris amico,
Exule te nato mæret vterque parens.
Quos Deus ad ſocios in vita condidit vſus,
Hos ſcelus externas iuſsit adire plagas,
Non eadem tibi cauſa via ſate ſtirpe Dearum,
Quas Helicon cithara fila mouere videt.
Te Muſæ Franciſce vocant, te Delius author,
Conſortémque chori gaudet habere ſui.
Quamuis triſtis erit fidi diſceſſus amici,
Sed tamen ex reditu gaudia quiſque capit.
Dulcis amicitia tecum mihi contigit vſus,
Qualéque cum Moſe fœdus habebat Aron.
Iunxit enim mentes ſtudium commune duorum,
Et pietas ſocij neruus amoris erit.
Nunc quia terrarum ſpacijs diuellimur ambo,
Dum te non licuit corpore, mente ſequar.
Pars animæ eſt homini diuinitus inſita ϛοργὴ,
Corpora cùm pereant, ſtorga ſuperſtes erit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Fallor an antiquos ſine labe colemus amores,
Quando anima & corpus viuet vtrunq; Deo?
Illa dies veniat dulces qua iunget amantes,
Quos niſi rupiſſet mors fera, ſemper erant.
Sed quoniam ratio cauſis innixa probandis,
Iam iam propoſitam ſuadet inire viam:
Vade bonis auibus ſtudijs addicte beatis,
Cui colitur ſpreto carmen & herba foro.
Quò nos Chriſte vocas Dominumq; ducemq; ſe-
Sic ſtatio vitæ, credite, ſoſpes erit. (quamur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

EPIGRAMMA IOANNIS SCHOSSERI AD NICRVM amnem.

Flaue Nicer vitrei ſiue incolis atria regni,
Iuraq; das Nymphis inuiolata tuis:
Triſtia ſeu defles extincti fata Micylli,
Et querulas rauco murmure voluis aquas:
Pande coronatas generoſo palmite valles,
Pande ſinum, ripas gramine cinge nouo.
Nam tua muſarum ſtipatus flumina cœtu,
A gelidi riuis Albidos, hoſpes adit.
Hoſpes adit, dulci quo Dania gaudet alumno,
Dania quæ medias eminet inter aquas.
Leucoris ingenij cultrix fuit: ipſe Melanthon
Contulit huic animi nobilioris opes.
Vnde ſimul faciles numeros & carmina fundit,
Atque Machaonia nomen ab arte refert.
Pectus habet caſſum fuco: mens fraudis iniqua
Neſcia, ſyncerè, quod facit omne facit.
Teſtor Apollinei numen venerabile fontis,

Hic

Hic mihi præcipuo cultus amore fuit.
Ergo Nicer placido venientem ſuſcipe vultu,
Illius & ſtudijs ingenioq; faue.
Quamuis clara tuis etenim ſint lumina ripis,
Hunc tamen & doctis quà licet adde viris.
Sponte ſua, Phœbi dulciſſima cura Secundus,
Vt reor huic mentis candida ſigna dabit.
Fuchſius ingenio clarus, notiſſimus herbis,
Huic etiam promptas offeret ipſe manus.
At Franciſce mei pars altera pectoris, omni
Tempore Schoſſeri ſis memor, atque vale.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

ΝΙΜΦΑΙ ΦΡΑΓΚΙΣΚΩ ΧΑΙΡΕΙΝ ΑΠΟ ΙΩΑΝΝΟΥ ΚΑΣΗΛΙΟΥ.

Ἦν χρόνος, ἡνίκ᾽ ἔβης δεῦρ᾽ εἰς σαξωνικὰ τέμπη
Καλλείπων γενέας τε φίλους καὶ πατρίδα γαῖαν.
Ἐξαπίνης ἀπιοῦσα σε ὠκεανιτίδες ἁγναὶ
Ἐκλαύσαντ᾽, ἔβαλόν θ᾽ ἁπαλῶν ἀπὸ δάκρυ παρειῶν
Ἐκ στομάτων γοεράν, πολυπενθέα τ᾽ ὄσσαν ἱεῖσαι.
Ὦ φράγκισκε κλέος μέγα βαλτικοῦ αἰγιαλοῖο.
Φίλτατε πιερίδεσσι καὶ ὠκεανιτίσι νύμφαις,
Χαρμοσύνη καθαρῇσι καὶ ἵμερε παρθενικῇσι,
Ποῦ πατρίων φεύγεις ἀπὸ κόλπων, ὡς σε ποθοῦμεν.
Ἀλλά σε φοῖβος ἄναξ καὶ εὐσεβίη θεόδεκτος
Εἰς χθόνα γερμανῶν κάλεσαν· σὲ δὲ ποντοπόρος νηῦς
Νῦν ἄγοι ἡμετέρου μεμνημένον αἰὲν ἔρωτος,
Καὶ σοὶ ἄριστος ἰόντι συνέμπορος ἡγεμονεύοι.
Γῆν ὅς ἀπειρεσίαν δῖδεν πόντου τε πορείας.
Ἡγήτωρ δὲ πάλιν σοι νοστήσαντι γένοιτο
Δῖαν ἀκεστορίην εἰς Δανικὸν ἔθνος ἄγοντι.
Οὕτω καὶ λαοῖς, χ᾽ ἡμῖν κεχαρισμένος ἔλθοις·
Ὣς ἔφαν· ἀλλ᾽ ἡμᾶς ὁ τοσώτερον ἄλγος ἱκάνει,
Καὶ πλέον, ἢ νύμφας, ἃς δεύτερον αὖθις ὁράσεις,

Νῦν

Νῦν μὲν σοίγε μέλος πεμπτήριον ἔσχατον ἔσται,
Τῷ τίνσι φίλην κεφαλὴν ἐνί Αλβιδος ὄχθαις
Πᾶσαι θυγατέρες φίλαι ἀλβίνοιο γέροντος.
Οὖλε φίλε φράγκισκε, πολὺς δέ τοι ὄλβος ὀπηδοῖ·
Μηδὲ φρεσὶ ποτὲ λευκορέον ἐπιλήθεο νυμφῶν,
Νυμφῶν ποικιλόφωνος ὅσας ἤνωσεν ἀηδών.
Ην δὲ λύπη ὁσάκις τε δύνῃ, χόρδ᾽ ἀμφροσχίῃσιν
Εμβάψας κάλαμον χρυσοῦν ἑλικωνίδι κρήνῃ.
Αμμι γράφοις τελέσας εὖχος τόδε λισσομένῃσι,
Χαῖρε φίλε φράγκισκε, θεὸς δέ τοι ὄλβια δοίη.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ ΙΩΝΑ ΤΙΝΤΗΝΙΟΥ.

Γνήσιόν ἐστι γέρας φιλίας φράγκισκ᾽ ἐρατεινῆς,
  Ἴσως εὐτυχίην δυστυχίην τε φέρειν,
Καὶ μὴ ἀπὸ γλώσσης, ἀλλ᾽ ἐκ καρδίης φίλον εἶναι,
  Κοινά τε ἡγεῖσθαι κήδεα λυγρὰ βίου.
Τοιούτους δ᾽ εὑρεῖν ἄνδρας μέγα ἔργον, ἑταῖρε,
  Ἀμφοτέρας μετέχειν οἳ ἐθέλουσι τύχης,
Μηδεμίαν φιλίην ὑπόχαλκον ἔχοντες, ὕπουλον
  Μηδ᾽ ἵνα κρύπτοντες ἐν πραπίδεσσι νόον.

Σοὶ δὲ νέμω τοῦτον περὶ πάντων φίλτατ᾽ ἔπαινον,
Ὅττι ἀκιβδήλως τὸν φιλέοντα φιλεῖς.
Καὶ σὺ φίλος δοκέεις ἐκ χρυσοῦ εἶναι ἀπέφθου,
Ἐξ οὗ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἔπλασε Πλάτων.
Τοὔνεκα καὶ Πυλάδης μένε σῷ εὔπιστος Ὀρέστης,
Ἄξιος ἀμφοτέροιν ἔσσεται οὗτος ἀγών.

IOANNIS FRANCISCI RIPENSIS, AD CARMINA clariſs. virorum, Doct. Ioan. Maioris, P. L. M. Ioan. Schoſſeri, P. L. M. Io. Cheſelij, & M. Ionæ Tintenij, quibus ipſum VVitteberga diſcedentem proſecuti ſunt,

* * *

RESPONSIO.

ALloquor, & fidis pro carmine carmē amicis
Offero: cultorem reſpice Muſa tuum.
Nanq; Lycaonia cùm digrederemur ab arcto,
Linguaq; cum lachrymis diceret, Albi vale.
Muſa comes Graijs & verſibus vſa Latinis
Nos fuit ad ripas Rhene ſecuta tuas.
Ergò vel extremis iaceam prius exul in oris,
Aut tegar ignoto corpus inane ſolo,
Quam ſocio doctis in amore ſodalibus auſim
Non ſtabili iuſtas mente referre vices.
Qui colit Aonidum fœlicia caſtra ſororum,
Ingrati fugiat ſe maculare lue.

Turpius ingrato nihil eſt quod viuat, amicum
Ille nimis dura ſorte rependit opus.
Sed quia nil poſſum quàm carmina reddere, car-
Dulce voluntatus pignus habete meæ. (men
Nā neq; magna nitent mihi pōdera diuitis auri,
Quod niger Eoo littore mittit Arabs.
Eſt fortuna mihi tenuis, non vera negabo,
Longior & noſtras iam via carpſit opes.
Aſpicies oculis cùm nos Fortuna benignis,
Officij potero tunc memor eſſe mei.
Intereà numeris numeros mea Muſa rependet,
Muſa vel immenſas vnica vincit opes.
Heu mihi, ſed tenues quā ſunt in carmine vires,
Non vigor eſt Muſæ qui fuit antè meæ.
Non ſecus ac ſterili tenuis ſtat meſſis in agro,
Agricolæ quem non excoluêre manus.
Sponte ſua lolium ſterileſq; miniſtrat auenas,
Grata ferens domino munera nulla ſuo.
Sic mea iam ſterili meſſis frigeſcit in herba,
Dum non culturam noſter agellus habet.
Ter duodena celer Titan per ſigna meauit,
Annum de toto iam trahit orbe nouum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Transfuga cùm ſacrum Muſis Helicona reliqui,
Nec cecinit ſolitis blanda Thalia modis.
Aulica ſollicita tractaui munia cura,
Magnorum inſtitui pectora clara Ducum.
Scilicet excelſis vbi ſurgit Dania muris,
Dania Parrhaſio terra propinqua polo.
Iamq́ue meæ torpent nunc deſuetudine vires,
Ac alacer ceſſit qui fuit antè vigor.
Rarò magnificis Muſæ celebrantur in aulis,
Quíve colunt Clarij numina caſta chori.
Ergò quibus potero verbis deſcribere dotes,
Virtutesq́ue quibus pectora veſtra nitent?
Iamdudum celebres volitant ſuper æthera laudes,
Ingenijq́ue micat nomine quisque ſui.
Dulcia facundo memoratis carmina verſu,
Quæ ſunt altiſono carmina digna Ioue.
Dum tua Muſa ſonat, Doctor clariſſime, Chriſtũ, Ioann. Maior D.
Applaudant numeris terra fretumq́ue tuis.
Namque ſtilo dictat tibi carmina Muſa ſonoro,
Quæ certant numeris, ô Maro docte, tuis.
Et Schoſſere tuis arridet Muſa camœnis, Ioann. Schoſſerus.
Magnorum celebras dum monumenta virûm.

Namq; refers dulces modulata voce lepores,
Qui certant Muſis, Naſo poëta, tuis.
Vos quoque Pierij dulces Heliconis alumni,
Blanda quibus Graio Muſa dat ore loqui.
Ioann. Cheſelius. Cheſeli frater, Tuq; ô dulciſſime Iona,
Fingitis argutis carmina culta modis.
Ionas Tintenius. Aemula carminibus Smyrnæi carmina vatis,
Sæcula quæ merito ſemper honore colent.
Mala ſed è dura capiam prius aurea fago,
Et dabit Hybleas dira cicuta roſas,
Quàm poſſim veſtras depingere carmine dotes:
Exiguum noſtro carmen in ore ſonat.
Hanc mihi vobiſcum liceat ſi ducere vitam,
Non foret optatis gratior vlla meis.
Id quia diuerſæ prohibet diſiunctio terræ,
Mutuus, ô fratres, ne cadat oro, calor.
Nec lethæa meam capient obliuia mentem,
Semper erit veſtrum nomen in ore meo.
Occurrit vitæ cùm conſuetudo prioris,
Dum fuimus ſocio nuper amore pares.
Vobiſcum videor ſanctos audire Philippus
Quos fundit dulci doctus ab ore ſonos.

Fœlices nimiùm quibus hunc audire licebit,
Quo non eſt toto maius in orbe decus.
Ille diu nobis maneat, Deus alme, ſuperſtes,
Vt ſpargat Verbi ſemina Vera tui.
Scire quibus forſan cupitis nunc Verſer in oris.
Reſponſum paucis noſtra Thalia refert.
Detinet hìc dulcis me conſuetudo Secundi,
Pinguia flauus Vbi perluit arua Nicer.
Hippocrates quicquid docet, interpresq́; Galenus,
Et reliqui docti quicquid in arte ſenes.
Explicat ingenua carus mihi mente Secundus,
Et quacunque poteſt parte iuuare iuuat.
Vos igitur mecum cultum celebrate Poëtam,
Cuius grande Nicer carmine nomen habet,
Deſpicit aduerſo nec Veſtras lumine Muſas.
Teſtes ſunt digitis reddita Verba ſuis.
Quod ſupereſt noſtri pars maxima cordis, Amici,
Eſte mei memores, atque Valete, rogo.

NICER AD ALBIM, DE ORNA- NATISSIMO AC DOCTISSI- mo viro, D. Ioanne Franciſco Ripenſi, VVi- teberga huc profecto, Autore Ioan. Secc. Pro- feſſore Tubingenſi.

Albi decus vatū, ripas cui propter amœnas,
Candida diuinus carmina fundit Olor.
Ille quidem Cuculis rumpantur vt ilia Flaccis,
Cura Deûm nineo pectore notus Olor.
Si pater Albi rogas quæ Nicro cura tuorum,
Hic vbi pampineis collibus vua nitet.
Crede mihi dulci quo Dania gaudet alumno,
Quiq́; tui vixit parsq́; decusq́; chori.
Gratus is aduenit, gratæ venere Camœnæ,
Quas tulit & ſocias, & tulit ille ſuas.
Huic & Lotichius Phœbea mente Secundus,
Dulcis amicitiæ fœdus habere dedit.
Nec deſunt alij quorum virtute fauorem
Ingenij raris emeruitq́; bonis.
Quos inter minimus forſan ſed pectore fido,
Vix reor huic alius iunctior eſſe poteſt.
Quàm Secceruitius veterum renouator amorum,
Ad ripas olim quos pepigere tuas.

Ille

Ille ſibi gaudet longo poſt tempore reddi,
  Pectora Theſæa candidiora fide.
Sæpe iuuat conferre pedem, gratasq́; per horas,
  Colloquio faciles liberiore frui.
Seu cùm noſtra vago vectis per rura meatu
  Fert amor herboſi quærere ruris opes,
Seu cùm Pierij quicquid ſuaſere calores,
  Lætus in alterno promit vterq; ſinu.
Quid loquar vt cari decorantem funera Regis,
  Audiat, & Clario quod pede conſtat iter.
Vtq́; typum ac veri fœlix exemplar amoris,
  Quaq́; oculos hominum condidit arte Deus.
His alijsq́; ſimul Franciſcus Apolline dextro,
  Pierij memorem compulit eſſe ſacri.
Et chartas quandoque ſuas ille explicat alter,
  Diſuetaq́; audet tangere fila lyræ.
Quin ſuper hic alios clariſsima nomina Vates,
  Carminaq́; & vates ſcire referre iuuat.
Tunc ſua Lotichio, ſua palma decusq́; Sabino,
  Muſaq́; fert meritum Stigeliana locum.
Tunc etiam Schoſſere ſubis, & nomine Maior
  Qui potes ô verè digna ſonare tuo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Atque aliæ dulces animæ placidiq́ꝫ ſodales,
Quos ſacra Pegaſea vena rigavit aqua.
Quorum ſuſpirat gremio diuulſus & aruis,
Iunctior & Cigno mallet adeſſe ſuo.
Hic Secceruitius quamuis de nectare noſtro
Hauriat, vſque adeò fortior Albi trahis.
Sed quid agat fatis parere vocantibus æqua
Mens ſolet, & fructum non capit inde leuem.
Quid cùm mox noſtris etiam diſcedet ab oris,
Longinquis penetrans extera regna vijs.
Vel cùm ſe referet Medicarum nomine rerum,
Hoſpes ad Auſonij ditia rura ſoli.
Vel cùm iã patrios portus, patria arua requiret,
Vt ſibi Pæonia rem decus arte paret.
Præcipuè Regi vt gratus procerumq́ꝫ coronis,
Inter honoratos ſit tuus Aula viros.
Hic quoqꝫ rapta graui tot gaudia mente dolebit,
Teq́ꝫ vocans multo nomine ſæpe gemet.
Quo fugis ah Franciſce? quibus nos linquis in oris?
Aut quo te volucri perſequar ipſe via?
Me iuuet ire tibi comitem quaſcunque per oras.
Viuere me tecum quolibet orbe iuuet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Stiparent noſtros Charitum pia numina cœtus,
Aſtaret ſocio pectore nuda fides.
Carmina Pierides dulci labentia cantu,
Carmina Pieridum funderet ipſe parens,
His herbas pictiq; canens his ſydera cœli,
Qualibus ô captos duceret aure ſonis.
Quæue per attonitas traheret ſpectacula mentes,
Euoluens tanta cognitionis opes.
Sed ſatis hæc, quæ cum cura iactarit inani,
Nequicquam varians mente animoq; vices.
Huc tamen huc ibit tandem, mentemq; reflectet,
Quò fati ratio propoſitiq; vocant.
Ergò quod ſupereſt, & quod conceditur vnum,
Candida ſyncero pectore vota dabit.
Vt Franciſce tuus ſit curſus in omnibus æqui
Auſpicijs fœlix præſidijsq; Dei.
Vtq; tuus portus fama Lauroq; perenni,
Delitijsq; tibi floreat vſque nouis.
His votis memor, hac te mente fideq; ſequetur,
His, licet amoto corpore, iunctus erit.

FINIS,

TVMV

TVMVLVS D.

SEBASTIANI GRYPHII DIVERSORVM AVTORVM CARminibus conſcriptus.

*

Ioannes Friſius Tigurinus Antonio Gryphio ſuo.

Gaudere debes, quòd parente eiuſmodi
Sis ortus, Antoni mi amantiſsime, adeò
Claro, & adeò illuſtri: ille non iniuriâ
Vocatus eſt Sebaſtianus GRYPHIVS.
Vt enim auidi Gryphes ſolent animalia
Vincere etiam ſæuiſsima, omnia admodum:
Ita & pater tuus ille præclariſsimus
Scelerata fortunæ ſolebat ſpicula
Negligere cuncta: ſed tamen morti vnicæ
Non potuit inuincibili reſiſtere:
Aliqua tamen parte reſtitit: corpus quidem

Succu

Succubuit, at fama illius per integrum
Orbem volat, cælosq; viſit ſpiritus,
Sedes beatas, vbi quieſcet in omnia
Sæcula. Quoad vixit, erat integerrimus,
Deum colebat, diligebat proximum,
Is inſuper chariſſimus fuit omnibus,
Deinde liberalis, humaniſſimus
Vir: non is auri auidus erat, neque cupidus
Opum, tamen veniebat illi aurum, & opes.
Erat repletus omnibus virtutibus.
Quin etiam amicus (teſtis es) fidiſſimus,
Nam te educandum tradidit mihi paruulum,
Et imbuendum diſciplinis optimis.
Ergo effice vt patris imiteris iter tui,
Chariſſime Antoni: bonis enim omnibus
Sic fueris optatiſſimus, tuæq; res
Perpetuò florebunt: ſed intereà tamen
Quæcunque mitto ad te, boni conſule. Vale.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

DE MORTE SEBASTIANI GRYPHII QVERIMONIA

IOANNIS FRISII

Tigurini.

*

COnquerar? an taceā? deplorem funera amici?
Qui mihi Theſæo pectore iunctus erat?
Iunctior haud vnquam magno Patroclus Achilli
Aegide nunquam Perithousue fuit.
Nec tantum Pylades charum dilexit Oreſtem,
Nec fuerat Niſo charior Euryalus.
Pectoribus quantum noſtris hærebat amicus
Gryphius, vnanimi iunctus amicitia.
Ah quoties dixit non te mihi charior alter!
Ah quoties animæ es pars, ait, vna meæ!
Nunc obijt Parcæ telis confixus iniquis,
Nunc Lugdunenſis gloria prima iacet.
Huic inuiderunt nimiùm crudelia fata,
Fata (inquam) magnis pernicioſa viris.
Nam cùm vidiſſet mortalibus aurea ferre
Commoda, protinus hunc ferrea Parca rapit.

Veſtrum

Veſtrum Pierides cur non ſeruaſtis alumnum?
Dicite, nam vobis is patris inſtar erat.
Pars animæ auelli, cùm ſciui funus acerbum,
Et pars abrumpi corpore viſa meo eſt.
Nulla atris vacua eſt penitus ſingultibus hora,
Labitur ex oculis multaq́ue gutta meis.
Ergo meos quiſnam luctus, lachrymáſue leuabit?
Aut quis ſolando fert mihi promptus opem?
Hunc ego non ſolus, non luget Gallia ſolùm,
Nec modò Gallorum millia multa dolent:
Verùm tota etiam noſtra hunc Germania deflet,
Ac dolet erepti triſta fata viri.
Sed quid me cruciē? lachrymas quid fundere pro-
Accipient luctus ventus et aura meos. (deſt?
Eſt certum cunctis, & ineuitabile fatum:
Nunc igitur carmen dicere triſte ſinam.
Gryphius æthereas nam rectà ſcandit in arces,
Cœleſtis factus, qui modò vilis erat:
Virtutiſq́ue ſuæ nobis monumenta reliquit,
Illius vt celebris fama, memorq́ue foret.
Quam nec concordes poterunt extinguere Parcæ,
Non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Non aqua, non ignis, nec quoque tempus edax.
Vos igitur Muſæ laudes memorate ſepulti,
Et tu Caſtalij duxq́; paterq́; chori.
Intereà quibus ingenua ars, acreſq́; labores
Illius, & ſolers profuit ingenium:
Eſtote illius memores, ac dicite magni
O utinam Gryphi molliter oſſa cubent.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

INFERIÆ AD D. SEBASTIANI GRYPHII TVMVLVM. IOAN. *Franciſci Ripenſis.*

*

Virtute duce, comite Fortuna.

GRyphius ergò iacet fato defunctus acerbo,
Grande fuit patrij qui decus ante ſoli.
Ergò iacet virtus, quem concomitante Deorum
Auxilio meritis vexit ad aſtra pijs.
Hac duce iam toto celebratur Gryphius orbe,
Quà religat celeres Solq́; reſoluit equos.
Vnde importunæ viget iſta potentia mortis?
Exerit in claros quod ſua tela viros?
Vis fuit: hac celebris nequicquam fama mouetur,
Poſt obitum tandem gloria vera viget.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

INFERIAE IN SEBASTIANI GRYPHII TVMVLVM, IOANNIS *Fabricij Montani*

*

QVid tantum celeras gradum viator?
Mirum ni lapidem vides ſepulchri,
Ni molem tumuli: mane, doceri
Quæſo te patiare de caduca
Vitæ conditione pauca noſtræ.
Qui curtum modò metior ſepulchrum
Præter oſſa nihil leuisq́; puluis,
Gryphius fueram Sebaſtianus
Germanis oriundus ex auitis:
Galliæ decus vtriuſq́; ſummum.
Florens præcipuè fauore Regis,
Cunctorumq́; ſimul potentiorum
Gratia ſtudio, benignitate.
Hæc eſt illa viciſſitudo rerum:
Hæc fallax hominum fugaxq́; vitæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Sic mors vna ſimul fatigat omnes.
Virtuti tamen vt nocere neſcit
Omne quæ ſuperat perennis æuum:
Sic non eſt adeò bonis tremenda,
Fœlix ipſa quibus viam recludit
Ad ſedes ſuperúm beatiores.
Quamuis longa dies, edáxq; tempus
Corpus in cinerem reſoluat atrum,
Non noſtros ideo ſimul labores
Rumpet: non monumenta, non libellos
Idcirco obliuioſa carpet ætas.
Sed quicunq; tamen meos labores,
Fructus, qui manet exitus libellos
Non multum moror: ad quietiores
Pridem cœlicolúm vocatus arces.
Quo non liuor edax, grauesq; curæ
Non falſæ penetrant venena linguæ.
Dixi quæ volui viator ire
Quo vis cunque licet: prius memento
Oblatum quoties iter capeſſis,
Te viam toties inire leti.

AD D. IOANNEM FRISIVM Fabricius.

En Friſi tibi carmen impolitum
Extra mœnia quod deambulanti
Horarum labor extudit duarum.
Conabar tibi plura, cùm repente
Extorſit calamum rigente dextra
Sybilus nimium furentis Auſtri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

IOANNIS PARKHVRSTI ANGLI IN TVMVLVM SEBASTIANI GRYPHII.

*

TYpographorum in Gallia ſummum decus
Sebaſtianus hic quieſcit Gryphius.
Non hic cubat totus tamen, pars optima
Hinc auolauit ad beatas Cœlitum
Sedes, vbi haud dicenda gaudet gaudia.
Tantum poteſt virtutibus nitens Fides.

EIVSDEM ALIVD.

Siſte viator iter, mora non erit hæc tibi longa,
Hinc quàm diſcedas, fac priùs iſta legas.
Gryphius hoc tegitur gelido dormitq́; ſepulchro,
Dignus qui in Pylios viueret vſq; dies.
Vincit Gryphus equos, elephantos, vincit hyenas,
Vincit pantheram, rhinocerota, lupum.
Vrſorum vincit robur, rabiemq́; leonum,
Vincere ſed ſolam non valet ille Tigrim.

Sic noſter fragilis fortunæ ſpicula vicit,
Vicit & inuidiæ vulnera, ſpemq́; ſuam.
Cætera viciſſet cùm Gryphius omnia, ſolam
Indomitam mortem vincere non potuit.
Aurũ Gryphes amãt rutilũ, effodiuntq́; cauernis,
Ex illo nides conficiuntq́; ſuos:
Gryphius at tanti non fecit, egentibus ille
Munificè ſemper diſtribuebat opes.
Deſino plura loqui, ne ſim tibi fortè moleſtus:
Hæc volui vt ſcires, carpe viator iter.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

EPICEDION
SEBASTIANI GRY-
PHII TIPOGRAPHI

Lugdunenſis cele-
berrimi,

PETRI STVBII.

Quiſquis ad hunc venies tumulum, dilecte viator,
Siſte pedem, legito, quæ meminiſſe iuuant.

NVper dum vellet mala Parca probare ſagit-
Illa ne, quæ quondã, vis ſupereſſet ijs. (tas.
Confeſtim celeri curſu properabat ad vrbem,
Quam nunc Lugdunum ritè vocare ſolent.
Quò peruenta citò. (Nam doctos atque benignos,
Complures intus nouerat eſſe viros.)
Conſtitit, & multùm ſecum meditata diuq́;,
In cuius pectus tela nociua ferat.
Hos inter celebres, vnus vir, laude coruſcans,
Virtutum omnigena, Gryphius ille fuit.
Sobrius, humanus, nulli pietate ſecundus,
Hoc nec Muſarum fautor in orbe magis.
Namq́; vijs certis ſtudia vt retineret honeſta,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Arte ſua Typica, conſilióque iuuit.
Seu ſacra, ſeu Medicas artes profitẽtibus aut Ius.
Suppetias libris omnibus ipſe tulit.
Hic mihi præ cunctis placet in quẽ ſpicula figam,
Et quid in hoc poßim, nunc, ait, experiar.
Parcarum ille etenim conſueuit ſpernere iura,
Et pietate ſua nos ſuperare putat.
Vtq́; igitur pharetra depromit tela ſonante,
Adductiſq́; ſuis arcubus impoſuit,
Improba in hunc oculos auidos telumq́; tetendit,
Tandem transfixit vulnere Parca graui.
Gryphius ingemuit, poſtquam ſua vulnera ſenſit,
Sed tamen haud totum lædere cor valuit.
Vix equidem poterat pedibus conſiſtere firmis,
Altè nec miſerum tollere ad aſtra caput.
Sed pietate ſua fretus, vis iuncta repulſa eſt,
Scilicet ad mortem ne foret illa ſatis.
Indignata igitur ternas vocat ipſa ſorores,
Hæ ſimul vt iunctæ, quod nequit vna, queant.
Protinus hinc Lacheſis flexos quoq; viribus arcus
Incuruat, telis languida membra petens.
Conſtitit, adducto, pòſt, arcu, tangere ferro

Atropos. & cupiens traiicit oſſa viri.
Tandem, poſt reliquas, arcu contenta parato,
Tela tenens Clotho fudit & ipſa ſua.
Mortiferamq́ꝫ nimis tũc, heu, ſub corde ſagittam
Fixit, qua raptim decidit exanimis.
Nam quis tam fortis qui contra numina pugnet
Hæc tria, quæ multùm viribus vſque valent?
Nam neque ſi Aeneas alioquin ſtrenuus armis,
Conſtitit, hic iunctos dum videt eſſe duos.
Non etenim mirum, Parcis, ſi concidit vnus
A tribus armatis victus inermis homo.
Quare nil laudis Parcæ meruère ſorores,
Quàm quod cæleſtis pro nece vita data eſt.
Nam qui mortalis fuerat, nunc ſpiritualis,
Atque immortalis viuit apud ſuperos.
Nec dubium moueat cuiqꝫ, quin ſydera cœli
Incolat, & Chriſto gaudeat ipſe ſuo:
Nam pietas tantum meruit. Qua qui caret vſqꝫ
Hic nunquã thronum ſtandet ad æthereum.

EIVSDEM
NAENIA, VEL CARMEN FVNEBRE, IN SEB. *Gryphij obitum.*

VXOR LOQVITVR.

HEu mihi, quã miſerè crucior, dilecte marite,
Quòd mihi te ereptũ morte truci videã!
Heu mihi, quàm magno luctu ſummoq; dolore
Afficior, ſolam quòd ſinis eſſe tuam!
Heu, me cur viduam coniunx ſic deſeruiſti?
Num ſocium vitæ pœnitet eſſe meæ?
An non te caſto dilexi ſemper amore,
Imperióque tuo ſubdita ſemper eram?
Nonnè fuit nobis mens vna, eademq; voluntas?
Et placuère mihi, quæ placuère tibi?
Hoccinè ſperaſſem, longè ô dulciſſime Gryphi?
Nunquàm reuerà cor ſubière meum.
Sed potius contrà, vitæ comes vſque fidelis
Cùm fuerim, & mortis me ratus eſſe tuæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

RESPONDET MARITVS.

QVid prodeſt lachrymas coniunx profundere multas?
Quidq́ꝫ iuuat querulos ædere voce ſonos?
Sic voluére Dij, nunc irreuocabile ſatum.
Præſtat ob id gemitus ſiſtere chara tuos.
Nil mihi cum mundo nunc conuenit amplius iſto.
Nam ſperata diu regna beata colo.
Concelebroq́ꝫ meum factorem, pontificémque
Chriſtum, cum ſancto pneumate, carminibus.
Quarè cùm veſtræ ſit non opis addere vita,
Vel quenquam Stygio poſſe leuare lacum.
Deſine cùm Nato mea fata dolere queriq́ꝫ,
Namq́ꝫ pio mortis ſpicula nulla nocent.
Sic gentes ſolitæ, quæ Chriſti dogmata prorſus
Ignorant, quas & vita beata latet:
Non ſic te multum fleuit bone Lazare Chriſtus,
Nec tua fata ſoror Martha ſiniſtra gemit.?
Sic quoque vos parcè doleatis funera noſtra,
Scandit enim æthereas nobilis vmbra domos.
Intereà precibus potius contendite multis,
Vt quoque mox fœlix hoc capiatis iter,

HON

HONORATI COLVMBERII GALLIAE NARBONENSIS

Epicedium in Sebaſtiani Gryphij obitum.

PLangite Pierides diuini Heliconis alumnæ,
Plangite, nã nobis maxima cauſa data eſt.
Plangite de medio nam fatum ſuſtulit atrox,
O cæcum fatum, funereúmque nimis!
Suſtulit ecce virum, veſtrum qui ornauit honorẽ,
Veſtrum promouit qui decus eximium.
Parnaſo reſidens Muſarum pulcher Apollo
Dux, & quas mentis vis mouet alma tuæ:
Inſigniſq; lyra, clypeo, leuibuſq; ſagittis,
Huius te mortem flendo praeſſe decet.
Nam tu qui quondam auertiſti fata Pherai,
Ac precibus mota eſt improba Parca tuis:
Sic tamen, illius mortem vice ſi quis obiret,
Vna obijt coniunx, oppetijtq; lubens.
Admeto grates retuliſti, próque benigno

Hoſpit

 Hoſpitio vixit, qui moriturus erat.
Dic mihi cur non tam potuiſti flectere Parcas?
 Ac ſic illius vertere fata viri?
Namq; redẽptura (vt coniunx Pegaſæa maritũ)
 Sic mortem Gryphi maxima turba foret.
An nõ hoc meritus fuerat quoque Gryphius? eius
 Admeti hoſpitium præſtitit officijs?
Gryphius ille iacet, nigræ hunc rapuêre ſorores,
 Qui Lugdunenſi clarus in vrbe fuit.
Tu funeſta nimis cur eripis Atropos illos,
 Immanis Clotho, tu Lacheſiſq; viros?
Morte data eſt eius mortalibus aſpera clades,
 Commoda plus centum mille ferebat eis.
Haud vnà potuêre tamen cum corpore famam
 Tollere, viuet enim ſemper in ore virûm.
Quin etiam æthereas lætus conſcendit in arces,
 Ac pro vna vitas nunc habet ille duas.
Ergo Pierides illum cantate Camœnæ,
 Sacrorum vatum tu quoque Phœbe pater:
Illius & tumulo tales inſculpite verſus:
 (Inciſi debent grandibus eſſe notis)
Gryphius hic ſitus eſt, nulli hunc vicêre Leones.

Maxi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Maxima qui in multa luce videnda dedit.
Eius Lugdunum ſedes fuit, illius atque
Oſsa tenet, famam totus at orbis habet.
Ille erat in vita ſimplex, pius, integer, iſq;
Pieridum numen præſidiúmque fuit.
Sed tamen à morte eſt tandem ſuperatus auara.
Nam nihil eſt, quod non mors ſuperare queat.
Etſi terrarum vix hunc capit integer orbis,
Exiguo hoc tumulo conditur ille tamen.
Eius at è terris cœleſtia regna reuiſens,
Spiritus omiſſo corpore in aſtra volat.

IO AN

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

IOANNES MORISOTVS MEDICVS AD SEBAſtianum Gryphium.

Siccine tu Gryphi Muſarum cultor, & hoſpes
Parca furente concidis?
Non ita Mnemoſyne, cui caſta volumina pulchris
Typis paraſti, dixerat.
Et verum? ô diram mortem! ô crudelia fata?
Tu prorogaſti literis
Aeuum: & falce tibi vitam præcidit iniqua
Ferox, & inuida Atropos.
Quis dabit his oculis fontẽ lachrymaſq́; perennes,
Nocte vt fleam, luce vt fleam?

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 628 8° copy 3